



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

Amicitia fucata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

Carmina tu nunquam laudas aliena; quid ergo  
Laudari quæris carmina, Rufe, tua?

*In eundem.*

**N**on mea, quod velles, te laudant carmina, Rufe:  
Ne tua me laudent carmina, nostra timent.

*In Cantharum potatorem sæpius egrotantem.*

**P**ost calices haustos toties, potamque salutem,  
Æger Apollineam, Canthare, quæris opem;  
Pocula dein redeunt, redit & medicaminis usus:  
Hoc est, nolle bene, & velle valere bene.

*In Podagram.*

**B**acchus & alma Venus quam progenuère, Podagram  
Miretur claudos ecquis habere pedes?  
Ebria quando trahit vestigia Bacchus, & hæret  
Tardipedi Cypris confociata viro.

*Adulatoris & corvi similitudo secundum illud Græc.*  
*Epig. Ρῶ καὶ Λάμψδα μόνον κόρακας*  
*κέλακάζε διίτ᾿.*

**E**cce κέλαξ κόρακι quàm concolor esse videtur;  
Hic niger est plumis, moribus ille niger.  
Hic fronti rapit, ille animo sua lumina; gaudet  
Hic cruce; suffigi dignus & ille cruci est.

*Amicitia fucata.*

**Q**uisquis amicitiam jungis, ne fronte serenâ  
Tincta venenato pectora felle tegas:

Plus

Plus fallax oris species, velut abdita rupes  
Plus ratibus, quàm quæ prominet alta, nocet.

JULIUS CÆSAR

*Injuriarum immemor.*

**O**Mnia conservat memori sub pectore Cæsar;  
Sola sed in ventos, quæ mala passus, eunt.  
Mnemosynen alii laudent: me judice, pluris  
Sic oblivisci, quàm meminisse fuit.

A D

FRIDERICUM FURSTENBERGIUM,

*Fratrem, Dynastam Bilstenii & Waldenburgi, Dominum in  
Schnellenberg, Waterlapp, Furstenberg & Herdringen, Se-  
renissimi Electoris Coloniensis, & utriusque Bavaria Ducis,  
Satrapam Fredeburgensem, & consiliarium intimum, Advoca-  
tatum hereditarium in Graffschafft, ejusque conjugem Annam  
Catharinam de Petra ex castro Leyen.*

De WILHELMO FURSTENBERGIO

*Eorum filiolo, eâdem horâ nato, & denato.*

*An. M. DC. L.*

**F**urstenbergiaco Wilhelmus sanguine cretus  
Hic jacet: huic vitam, quæ dedit, hora rapit;  
Vivat ut æternùm, mœsti ne flete parentes,  
Huic eadem vitam, quæ rapit, hora dedit.

A D